ra. de Regul. Jur. in 6. exequi curet. Culpæ enim horum adscribendum est, qui negligentiores in suo officio fuerint reperti. l. Divus Marcus. ff. de Offic. Præsid.

STATUTUM V.

De Officio Præpositi usurpando vel non.

Quamvis vindicatio (ut ex immediato Statuto liquet) ad Clarissimum Præpositum Domûs pro tempore existentem pertineat, et nemo ejus Officium, utpote alienum usurpare debeat. c. Tua Nos. de Homicid. tamen si quis ex Dominis Consiliariis Domûs, aut quivis alius de Collegio Professor, maximè in absentia Domini Præpositi Domûs Censum ad Collegium spectantem perceperit et de percepto Quietationem suo vel nomine Præpositi dederit, officium ejus usurpare non censetur, quinimo illum in officio Præposituralì satis oneroso adjuvare videtur; modo dictum Censum totaliter Præposito quamprimum venerit, restituat, aliàs non debet esse sine culpa; quia hoc casu se immiscuit rei ad se non pertinenti. c. Non est. de Reg. Juris. in 6. et l. Culpa est. ff. eod. tit.

STATUTUM VI.

De fideli proventuum Collegii inter Professores dismembratione.

Insistendo doctrinæ Gentium Doctoris Pauli I. Timoth. 5. in can. Quineung. 12. q. 2. relatæ: Dignum esse operarium mercede sua. Statuimus et inviolabiliter observari volumus, ut unicuique Professori tam præsenti, quàm à Convocatione absenti etiam post cessum vel decessum ejusdem, proventus eundem de Collegio et Professione tempore actualis laboris et residen-

tiæ

tiæ in Collegio concernentes, eidem, aut illi, cui ipse quomodo-
cunq; etiam ultima voluntate sua commiserit, vel committi vo-
luerit, integri aesi ipse præsens sub tempus dismembrationis fu-
iſset, nisi causa legitima subsit, vel nisi ipsos Collegio vel Profeſsi-
oni cedat, aſsignentur ac realiter et in effectu per Præpositum
vel alium, ad quem id spectabit sub pœna Censibus retentis simili
et aliis arbitrariis solvantur. Justum namq; est, ut illi consequan-
tur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur
obsequium. <u>can. Charitatem. 12. q. 2.</u>

STATUTUM VII.

De Anniversariis in tempore præscripto celebrandis.

Sicut nulla dies excipitur, qua pro viventibus et pro quibuslibet
neceſsitatibus Dominus non deprecetur; ita nulla dies <u>jux. can.
penult. de Consecr. dist. 1.</u> excipi debet, qua pro Animabus fide-
lium, maximè pro quibus obligati sumus orare preces Domino
in Miſsarum solennitatibus non fundantur. Ideo statuimus
et Clariſsimum Præpositum Domûs pro tempore existentem præ-
senti Statuto obligamus, ut Anniversaria per Collegium cele-
brari solita statis et à Fundatoribus præscriptis ac hic ad fi-
nem Libri Statutorum connotatis temporibus, etiam in casu
non solutionis Censûs pro aliquo Anniversario provenientis,
de Communi Collegii maſsa, aut in defectu hujus, suo interim
peculio (modò ex Censibus vindicandis speretur refusio)
celebrari, pro celebrandis Clariſsimos Collegas invitari, ab-
sentes verò fideliter, nullo habito personarum respectu, nisi
sint in negotio Collegii, Universitatis, aut vera infirmitate de-
tineantur, connotari curet, et eosdem absentes portione pro Anni-

versa